

cam totius sobolis institutionem; eadem praxis viget in dioecesi Oenipontina (1).

344. Ad 4. N. Adversarii enim principium est prorsus absurdum et contrarium legislationi omnium gentium. Nulla siquidem usquam legislatio reperietur quæ interdicanter validæ pactiones antequam sponsi ineam conjugium illud è contrario apud omnes gentes usu ipso inductum novimus, ut sponsi ante matrimonium ineundum ad aliquid se obligare invicem possint, idque legali scripto confirmare, in rebus etiam quæ ad futuram prolem pertineant, cujusmodi est articulus de proli successionem. Quod si sponsi, antequam conjugium ineam, possunt inter se pacisci de successione hæreditatis, ac de aliis non paucis quæ spectent ad futuram prolem, quantum magis pacisci queunt circa ejusdem religionem, quæ objectum est longè præstantius et sanctius!

345. Ad 5. Si ageretur de solis scrupulis, C.; si agatur de violatione obligationis seu muneris omnium maximi quo parentes erga Deum obstringuntur, N. Utique hæretici pro sua opinandi licentiâ existimant id quod est ab Ecclesiâ circa matrimonia mixta sancitum, rem levissimam esse, quam homo prudens religioni non habeat (2). Ecclesiæ autem à Christo edoctæ alius est sensus, contraria planè doctrina; sentit enim ac docet eos Catholicos qui ita animo sunt comparati, ut aut parvipendant religiosam liberorum institutionem, aut eam dimittant parti acatholicæ, in gravissimum crimen incurrere; quod si officium divinâ lege parentibus impositum sanè omnium maximum sive per socordiam, sive per contemptum abjiciant, æternæ filiorum suorum salutis proditores fieri. Quamobrem neque potest neque debet falsæ cujusdam pacis obtentu parentes ejusmodi in tam perversâ animi dispositione relinquere.

346. Ad 6. D. Id est, nonnullorum privatorum aut ignorantia, aut animi ignavia, Ecclesiæ lex alicubi violata est, Tr.: legitime collata est illis conjugii benedictio, N. Etenim potuerunt interdum sacerdotes aliqui, sui obliti muneris, sive ut potestati civili verificarentur, sive honorum illecebris aut metu poenarum, eò adduci, ut sacrilegum hoc facinus perpetrarent. Verum hic non disputamus quid ex privatorum culpa fieri possit, sed quid legitime fieri possit et omnino debeat. An verò assentatorum hominum perfidia, aut ignavorum pravitas unquam efficiet ut lex

der Ehe, seu: *Expositio religioso-scientifica de matrimonio*. Vien 1854.

(1) Cf. Doellinger, ibidem.

(2) Quomodo harum rerum quas Ecclesia catholica servat, æquos aestimatores habere Protestantibus possumus, quibus præcipua fidei christianæ capita subvertere nulla religio est? Satis sit ad hanc assertionem confirmandam adducere Catechismum ad usum ecclesiarum et scholarum protestantico-christianarum editum Spiræ 1822, confectum à generali synodo protestante circuli Rhenani, et à supremo regio consilio approbatum. In hoc porrò catechismo evangelico de Trinitatis mysterio et Christi divinitate ne unam quidem syllabam legas; dogma autem Redemptionis humani generis ex impiis Socinianorum placitis describitur.

aliqua licitè violetur, obsistente præsertim ac reclamante legitima Ecclesiæ auctoritate (1)? Si hoc quispiam contendat, non modò lex quævis ecclesiastica, sed etiam civilis divinaque ipsa lex poterit impunè violari, cum quotidie ingens hominum perditorum turba illas prætergrediatur.

347. Ad 7. N. Nunquam enim Ecclesia à seipsa dissentiet, neque permittet ut sponsi pactum ineam, quo filii patris, filix verò falsâ religione matris imbuantur. Hoc quippe iniquum est, et omni-juri contrarium. Imò ne sponsi quidem ipsi pactum hujusmodi inire inter se licitè possunt. Utervis enim illorum hæresim sectans, aut hanc veram esse aut falsam judicat. Si veram, cur liberis suis adeò sit inimicus, ut eadem hæresi nolit omnes enutrirî (2)? Si verò falsam, cur non modò sibi, sed etiam liberis suis iniquus esse velit, ut impiam sectam profitentes exitio pereant sempiterno? Ad hæc libet quærere num catholicus pater sit filiorum tantum, an etiam filiarum pater? Similique ratione num mater catholica filiarum mater dicenda sit, an etiam filiorum? Profectò tales parentes qui sunt, ut sic velint sobolem partiri, referre mihi videntur mulierem quæ coram Salomone rege alteri dicebat: *Nec mihi nec tibi sit, sed dividatur* (3). Imò pessimæ femine crudelitatem longè superant. Illa enim cupiebat ut alienæ sobolis membra in duas partes discernerentur; isti verò prolem à se genitam sic dividunt, ut non in corpora, sed in ani-

(1) Cf. quæ superius ex archiep. Posnaniensi litteris ad regem Borussiae datis adduximus. Illis verò aliud ejusdem testimonium subnectimus. Cum enim ex occasione allocutionis à Gregorio XVI habitæ die 15 superioris septembris, quâ viri fortitudo et agendi ratio commendata fuerat, *Ephemerides regni Borussiae* inconstantia illum accusassent, ita reverendissimus archiepiscopus in sua responsione impositam sibi calumniam à se removit: *On ne se laisse pas de prétendre de nouveau que tous les prêtres de mon diocèse bénissaient les mariages mixtes sans exiger une promesse préalable; quoique près de mille faits recueillis à la hâte dans les registres de l'Eglise, et un grand nombre de contre-preuves envoyées à diverses reprises, et toujours de nouveau, à son excellence le ministre von Altestein, soient venus prouver le contraire; bien que le gouvernement royal, en fait, ne semble pas les avoir agréés, comme le prouve le document (pièce justificative A), qui s'en rapporte expressément à une décision ministérielle du 30 mai 1857. Cf. *Ami de la Relig.*, 17 févr. 1859. Fructus porrò impavidæ hujus archiepiscopi agendæ rationis fuerunt publica vincula, ad quæ vir octogenarius damnatus est à clementissimo regimine evangelico.*

(2) Quid censeant Protestantibus de doctrinâ catholica, quantum à Socinianis et rationalistis, ut videmus, toti sint, liquet, cæteris prætermisissis, ex Catechismo Heidelbergensi, seu instructione in doctrinâ christianâ pro Ecclesiis reformatis, novissimè edito Sulzbachii, an. 1826, in cujus præfatione prædicantes dicuntur sese eidem jurejurando obstringere. Itaque in hoc libro symbolico, pag. 56, octava interrogatio hæc est: *Quodnam intercedit discrimen inter cœnam Domini et Missam papisticam?* Resp.: *Missæ nihil aliud propriè est, nisi abnegatio unici sacrificii et passionis Jesu Christi, ac maledicta idololatria.* Nescio utrum hæc in ore istorum hominum risum magis an indignationem moveant.

(3) 3 Reg. 5, 26.

mas sæviant, dumque unam partem Christo et Ecclesiæ, alteram impietati et malo dæmoni addicunt. Nonne in supremo judicii die filia hæretica catholicum patrem, filius autem hæreticus matrem catholicam justissimè accusabit (1)?

348. Neque verò quispiam opponat è duobus malis minus esse eligendum. Equis enim istos in eam necessitatem conjecit, ut alterutrum faciendum sit? Nonne satius esset ut Catholici ab ineundo cum hæreticis aut schismaticis matrimonio penitus abstinerent? Ultrò igitur volentesque sese iis vinculis implicent, quibus deinde suæ soboli iniquissimi esse coguntur. Neque omittendum est conjugem hæreticum aut schismaticum multis de causis permoveri posse ut ad sese universam sobolem trahat. Verum etiamsi demus quòd fidem pactis promissisque servare velit, tamen: *Unus ædificans*, ut verba usurpem Ecclesiæ-

(1) Exinde apparet iniquitas illarum legum quibus sancitur ut masculi patris, feminae verò matris religionem sectentur; aut, quòd deterius, ut universa proles orta ex conjugii mixtis profiteatur religionem quam vocant *dominantem*. Eadem erat imperatorum ethnicorum ratio, qui editis legibus omnes cogebant ut gentium superstitiones profiterentur.

stici, et unus destruens: quid prodest nisi labor? Unus orans, et unus maledicens: cujus vocem exaudiet Deus (1)?

349. Hæc de matrimonio paulò prolixius pro rei gravitate agere volui; in quâ tractatione nihil me scripsisse profiteor, quòd ex veritatis amore et catholice doctrinæ tuendæ studio non sit profectum. Cæterum si quid fortè videatur à me dictum esse liberius quàm ut placere quibusdam possit, velim ut æqui homines sedato attentoque animo secum reputent quæ sanctissimus Mediolanensis antistes Ambrosius ad Theodosium piissimum imperatorem olim scripsit: *Sed neque imperiale est libertatem dicendi denegare, neque sacerdotale, quòd sentias, non dicere... Siquidem hoc interest inter bonos et malos principes, quòd boni libertatem amant, servitutem improbi. Nihil etiam in sacerdote tam periculosum apud Deum, tam turpe apud homines, quàm quòd sentiat non liberè pronuntiare... Quòd facio primum tui amore, tui gratiâ, tuæ studio conservandæ salutis (2).*

(1) Cap. 34, 28, 29. Cf. Serarium, op. cit., cap. 2, § 14 et seqq.

(2) Epist. 40, edit. Maur., n. 2, 5.

LECTORI BENEVOLO.

Jam pridem ab ipso mearum de re theologica prælectionum ingressu illud me præstiturum sponderam, ut peculiari aliquando locos theologicos, quos nuncupant, tractatione explanarem. Id vero Dei Opt. Max. beneficio tandem perfecisse lætor. Prodiit quippe in lucem primum disputationis hujus volumen, quòd alterum non ita serius excipiet. Universa porro hæc lucubratiō tametsi postremo omnium loco edatur, primam nihilominus sedem post tractatum qui de vera religione a nobis inscriptus est, suo jure sibi vindicat. Etenim quæ reliquæ sunt theologiarum institutionum partes, ex principiis notis veluti aliunde atque exploratis, in peculiarium dogmatum evincenda veritate versantur. At vero hæc quam auspicamur, posteaquam quòd par est fundamentum in tractatu de vera religione præjectum fuerit, principia ipsa atque fontes, unde omnis in theologica disciplina veritatum series dimanat, proponit atque explicat, eorumdem inter se nexum ac mutuam, quam vocant, dependentiam patefacit, et quòd caput est, singulorum veritatem accurate demonstrat. Quæ cum ita sint optimo jure factum est, ut tractationi huic locorum theologiarum appellatio inderetur: eandemque ob rem haud alio quam receptissimo illo titulo hanc operis nostri partem prænotandam censuimus.

Jam nos ipsi profitemur plura in hisce locis illustrandis fuisse complexos, quæ arctissimam cum iis necessitudinem habent, quæ in altera parte tractatus de vera religione haud ita summis labiis delibata sunt. Verum utraque invicem disputatio plurimum distat. Etenim id unum illic intendimus ut continenti propositionum serie, efficaci illa quidem, sed arctiori et pressa, homini divinæ revelationis necessitatem atque existentiam nuperrime edocto, nec in quam societate exquirenda ea sit satis per seipsum internoscere valenti, veræ Christi Ecclesiæ faciem ac præcipua lineamenta velut in tabula quadam expressa exhiberemus. Hæc vero quoniam regulæ proximæ fidei nostræ dignitatem nancisci Ecclesia debet, funditus enucleanda res est; natura ipsa atque intima Ecclesiæ constitutio exploranda, ceteraque de Scripturis et traditionibus in propatulo ponenda; quæ nisi solide in ipso theologiarum vestibulo constituta fuerint, omnis deinceps disputatio suis quasi nervis destituta nutet oportet.

Neque vero mirum cuique videri debet, quòd locorum theologiarum explanationem duobus voluminibus vix exhausturimus. Nam quominus parciores in scribendo esse possemus, tum rei gravitas atque copia, tum institui nostri ratio, necnon ætatis quæ nunc est conditio prohibuerunt. Incredibile enim dictum est quanto vesaniæ ac furoris æstu heterodoxi homines, quò inclinatam et prope collapsam protestantismum utcumque sustentent, in labefactanda catholice Ecclesiæ imprimisque rom. pontificis auctoritate, ceterisque sacre theologiarum fontibus corruptendis unanimes allaborent. Nec facile explicari potest quam fallacibus eisque variis ac multiplicibus artibus utantur, quotque in dies teterrimas machinationes moliantur. Quandoquidem igitur illud perpetuo animo constitutum gesserimus ut præ obsoletis jamdiuque protritit, errorum qui in præsentia grassantur potissimum hæreticis ra-

tionem, committere non potuimus, ut hasce vaserrimorum hominum technas paulo studiosius non consecraremur, quo ipsa manifestatione debilitata et fracta conciderent.

Ceterum nihil inde nostrarum prælectionum moles justo amplius excrevit. Hic enim qui de locis est theologicis, atque alter de vera religione tractatus, apparatus loco ad universam theologiam haberi debent, iidemque propterea seorsum a reliquis edi atque in usum deduci possunt.

Nihilo tamen secius quo iis etiam collegiis morem geramus ac clericorum ephebis in quibus brevior usura temporis ad theologiæ curriculum absolvendum pro sua studiorum ratione conceditur, simul ac alterum tractationis huius volumen publici juris effectum fuerit, ad ipsas hasce prælectiones nostras in compendium redigendas, si Deus annuat, aggrediemur.

Utinam laborum omnium nostrorum ille tandem fructus obtingat, ut quidpiam solidi emolumenti juventuti in spem catholicæ Ecclesiæ adolescenti pariat. Id enim vero est quo tendimus, quod discipimus. Id ut Deus Opt. Max. faxit enixis precibus flagiamus.

TRACTATUS DE LOCIS THEOLOGICIS.

Proœmium.

Nemo profecto qui sacras vel a limine salutaverit disciplinas conspicuum dominicæ familiæ decus illud ac lumen Melchiorum Canum merito non suspexerit, quem tractatus de locis theologicis inscribi solitus, suum veluti parentem agnoscit. Sive enim doctrinæ spectetur firmitas, sive acumen ingenii, sive compta scribendi ratio ac perpolita: tam multa inibi eximia offeruntur, ut quid potissimum sibi primas vindicari, addubites. Nihilominus cum per ætatem in qua vir præclarissimus scripta edebat, numeris omnibus absolutum opus videatur, tum in præsentia minus idoneum, et auditoribus informandis minus accommodatum, suffragio doctorum virorum habitum est. Quapropter expetita fuit nova methodus qua hic tractatus in scholis traderetur ab ea diversa, quam sibi præoptavit Canus, ceterique deinceps qui ad hæc ferme tempora eum imitati, aquas ex illo communi fonte in suos usus quodammodo derivarunt.

Et plura sunt quæ me ad obsequendum huic sive monito sive desiderio, non movent duntaxat, sed pene compellunt. Atque in primis agendi ratio protestantium, biblicorum, rationalistarum ac mythicorum in doctrinis catholicis insectandis, ob quam non amplius datur nobis tritum iter insistere ut apto cum iis armorum genere dimicemus. Etenim quemadmodum post adscitum in usus bellicos sulphureum pulverem, integra militaris ars sive in extruendis arcibus, sive in impetu hostico repellendo, sive in ceteris, quæ ad leges oppugnatorias spectant est immutata; ita variari debuit norma oppugnandi religionis hostes, posteaquam isti novis machinationibus ad catholicos aggrediendos uti cœperunt. Præterea id

ipsum suadent progressus quos insequentibus temporibus scientiæ fecerunt tum in arte critica, tum in exegesi, tum denique in philosophicis disciplinis ad quos exigi rem theologicam necesse est, ne reliquis disciplinis hæc nostra inferior videatur. Huc accedit methodum a Cano adoptatam, ac deinceps a reliquis fere post ipsum, minus geneticam, ut loquuntur, sive scientificam videri posse. Ex ea siquidem haud levia dimanant incommoda, quæ declinari vix, aut nullatenus etiam queunt.

Etenim Canus primo loco de Scripturis divinis agit, deinde vero de traditione, hinc de Ecclesia et de conciliis, quibus subnectit quæ ad romanum pontificem, sanctos veteres, quos vulgo *patres* nuncupamus, ac theologos scholasticos pertinent; ut demum tres alios aperiat fontes, unde theologus hauriat argumenta illa quæ ipse vocat adscriptitia, ac velut ex alieno emendicata, rationem scilicet naturalem, auctoritatem philosophorum, et jurisconsultorum, postremo auctoritatem humanæ historiæ (*Lib. I, cap. 3*).

Verum enimvero quis unquam non viderit nequam posse quemquam de Scripturis sacris, prout *divinæ* spectantur apte disserere, de ipsarum, ut aiunt, inspiratione et canone, ut reliqua missa faciam, quin prius auctoritas illa constituta sit ex qua solum eæ notæ tuto nobis poterunt constare? Idem dic de divinis traditionibus et earum auctoritate ac de reliquis quæ ab Ecclesiæ auctoritate ac testimonio, uti postea ostendemus, unice pendent.

Quamobrem iter insistendo, quod et alias ingressi sumus in posteriori tractationis nostræ parte quam

de Vera religione adversus heterodoxos inscripsimus, magis ad rem conficiendam opportunum nobis visum est exordiri ab Ecclesia cujus præscriptionem, sive anterioritatem, ut ita loquar, cum jam constituimus, sic magis ac magis in hac ipsa tractatione confirmabimus. Ex hoc porro principio velut ex uberrima sege pronum erit colligere quæ ad sacram Scripturam, et ad traditionem sive oralem, sive litteris, documentisque deinceps consignatam, aliave ratione ad nos deductam, referuntur. Quibus absolutis firmiterque constabilitis, panditur via ad reliquas quæstiones agitandas de quibus acris controversia ætate potissimum hæc nostra et contentio excitata est, de analogia videlicet rationis ac fidei.


Cum enim locorum theologicorum nomine veniant argumentorum sedes ac veluti domicilia, ut loquitur Canus, ex quibus theologi omnes suas argumentationes sive ad confirmandum, sive ad refellendum inveniunt, patet, si rem strictius spectes ac prout scientiæ nostræ natura exposcit, quæ tota divinæ auctoritati ininitur, eos revocari debere ad verbum Dei sive scriptum sive traditum, quod constituit eam quam vocant *remotam* fidei nostræ regulam. Cum autem de genuino Dei verbo ac germano ejus sensu, sive revelationis objecto constare certo nobis non possit nisi per medium tutum ac infallibile, cujusmodi Ecclesia est, quæ constituit fidei regulam *proximam*

nuncupatam, ut latius suo loco ostendemus, hæc sit, ut prius de Ecclesia quam de Dei verbo agere debeamus. Etenim quoad nos prius constare debet medium, quam res quæ per medium innotescit. Abjicere autem legitimum rectæ rationis usum a theologicis disciplinis nec possumus nec debemus, adeo siquidem individuus est nexus inter rationem ac revelationem, quæ ex eodem omnium bonorum fonte, Deo, dimanant, ut dissociari ab invicem nullatenus possint. Hunc propterea ordinem consecrantes totum quod aggredimur opus in tres partes distribuere constituimus, in quarum prima universim quæ ad Ecclesiam spectant disputabuntur; in altera quæ ad verbum Dei scriptum et traditum; in postrema quæ ad rationis et fidei analogiam referuntur. Intereremus præterea idoneis locis quæ usui necessaria sunt, ut prospere feliciterque, qui adversarios fidei catholicæ aggrediuntur, eos valeant impugnare.

Quoniam vero Ecclesia *acephala* seu sine capite neque est neque intelligi potest, ideo de Ecclesia integra quæ in prima parte dicturi sumus accipienda erunt; quamvis ob rei de qua agitur gravitatem cogamur distincte de Ecclesiæ capite disputationem instituere. In duas proinde sectiones hanc primam tractatus partem dividimus in quarum priori de Ecclesia generatim, in posteriori de ejus capite, seu de romano pontifice agemus.

PARS PRIMA.

SECTIO PRIOR DE ECCLESIA CHRISTI.



Christi Ecclesiæ nomine significamus societatem illam, quam Christus Jesus cujus divinam missionem vindicavimus in tract. de *Vera religione*, instituit, ut depositum asservaret cœlestis doctrinæ in terras ab se delatæ, atque organum seu medium simul esset, quo hæc ipsa doctrina conservaretur integra atque propagaretur.

De hac societate nobis inquirendum est quænam sit ejus origo seu institutio; quomodo sit constituta; quænam sint ejus notæ; quæ ejus dotes et munia. Totidem hæc capita erunt in quæ priorem hanc sectionem distribuemus.

CAPUT PRIMUM. DE CHRISTI ECCLÆ INSTITUTIONE ET ORIGINE.

Ut ex ipsa tituli inscriptione patet, controversia hic minime agitur de Ecclesia universim sumpta, quæque ab ipso mundi exordio cum protoparentibus cœpit, longo sæculorum tractu percrevit, ac novam peculiaremque sub Moysæ adeptam formam in electo Dei populo usque ad Christum perseveravit. De hac enim Ecclesia, seu potius de hisce diversis ejusdem Ecclesiæ statibus nulla intenditur nobis lis;

præsertim cum hi status desierint, ut tertio locum cederent in quo Ecclesiæ per Christum in terris totius nunc perfectionis cumulus accessit.

Disserentes igitur de postremo hoc Ecclesiæ statu, quem a suo institutore ac fundatore posthac vocabimus Christi Ecclesiam, aut absolute Ecclesiam, investigabimus ejus originem, ut eam colligamus antiquiorem esse quavis scriptura, quæ de ipsa loquitur, et eidem præscribere. Hujus quidem veritatis semina ac velut fundamentum jecimus in allegato tract. *De vera religione* (*P. II Prop. II*); ast quod illie in finem quem nobis proposuimus vix attingimus, nunc firmiter statuemus, minutimque evolvementur ob gravissimas quæ exinde fluunt, conclusiones.

Porro cum illud nobis propositum sit Ecclesiæ originem et institutionem absque Scripturarum divinorum subsidio ostendere, non earumdem usum rejicimus, imo, cum opus fuerit, ex iis testimonia adducimus. Verum quod alias monuimus (*Ibid. col. 471*), hic eis utemur ut documentis mere historicis, quorum auctoritas atque veritas ex solis argumentis criticis constent, prout ex solis criticis argumentis

sacras Litteras admittunt protestantes cum quibus potissimum nobis res est. Etenim cum protestantes rejiciant Ecclesiae catholicae auctoritatem, coguntur confugere ad sola argumenta critica ad utramque constabiliendam. Hinc abstrahentes a divina sacram Litterarum inspiratione et ab earundem canone, ex libris illis sic testimonia promemus, quos ex criticis regulis protestantes authenticos et veros habent, perinde ac si ex Livio aut Tacito aliisve profanis scriptoribus testimonia afferremus quoad ea quae referuntur de republica aut imperio romano. Ad sensum vero quod spectat, cum consecrabimur quem exegeseos regulae a protestantibus pariter admissae requirunt.

Quibus ita constitutis pergimus ad ea perficienda, quae nobis hoc in capite proposuimus circa Ecclesiae institutionem et originem insequentibus propositionibus.

PROPOSITIO I.—*Christus Ecclesiam instituit et fundavit, ut per eam et in ea sui cultores mediis idoneis essent instructi ad aeternam salutem sibi comparandam.*

His verbis factum enuntiamus cum jure conjunctum; institutionem videlicet Ecclesiae, quae a Christo facta sit, et finem quem idem Christus sibi proposuit in ea instituenda, qui aeterna est Christi fidelium salus mediis idoneis obtinenda.

Jam vero ejusmodi factum, seu instituta a Christo societas cultorum suorum triplici via nobis innotescit; ac primo quidem ex societate ipsa, quae adhuc perseverat ac floret, et a Christo conditore suo nomen habet. Quaevis enim societas est persona moralis, cujus membra sunt individua singula ex quibus illa coalescit et existit per vincula quibus societas ipsa constituitur. Porro persona haec moralis, quae nunquam deficit et moritur, ea ipsa est quae sua existentia de se testimonium dicit; objectum vero hujus testimonii sunt ea omnia quae de sua origine, institutione, doctrina, legibus, institutis, ac reliquis omnibus quae ad eandem societatem spectant, ipsa profitetur (1). Societas autem christiana vel ipso nomine suo, cultu, institutis testatur in universo quo late patet terrarum orbe se a Christo primitus fundatam fuisse, et ultra XVIII. saecula ab sui origine numerare, omnigena nec unquam interrupta monumentorum ac documentorum serie id ipsum confirmans (2). Quapropter etiamsi de essent

(1) In qualibet societate individua moriuntur, at societas eadem semper perseverat pereuntibus individuis, quo fit ut institutiones, mores, consuetudines simul coepta jugiter conserventur. His porro societas a societate, gens a gente discriminantur, nec melius possumus de institutis cujusvis gentis aut societatis nosse quam a peculiari gente aut societate cujus illa sunt propria. A Graecis, e. g., melius novimus quae ad Graecos spectant, a Romanis quae ad Romanos, et ita porro. Hoc vero potissimum valet cum agitur de institutis religiosis. Quam enim meliori ratione cognoscere possum quae ad Islamismum pertinent quam ab Islamitis; quae ad Buddhismum, quam a Buddhis, et ita de reliquis? Haec regula generalis est.

(2) Haec enim referuntur successiones episcoporum, universalis Ecclesiae praxis, acta conciliorum sive particularium, sive generalium, christianorum praecleara gesta, scripta patrum, templa, lapides aliaque ejusmodi monu-

menta, quae expendimus in altera hujus tractationis parte, ubi de mediis per quae perennis Ecclesiae traditio ad nos pervenit, atque a nobis cognosci potest. Quae quidem omnia moralem historicam certitudinem summam constituunt omni exceptione majore.

sacrae Litterae, adeo factum istud compertum est, ut qui velit ipsum non dicam inficiari, sed vel in dubium revocare profecto amens sit. Secundo, id ipsum evincitur ex omnibus christianae religionis motivis, quae vocant, credibilitatis, quaeque suo loco evolvimus et propugnavimus (1). Nam si haec motiva talia sunt, quemadmodum alias ostendimus, ut divinam prorsus esse patefaciant religionem a Christo institutam, simul patefaciant institutionem et originem Ecclesiae, quae identificatur cum religione ipsa. Equidem haud ignoramus re in abstracto spectata, aliud religionem esse, aliud Ecclesiam, cum illa respiciat tantum cultum, aut etiam si lubet, latiori quodam sensu veritates quas religio proponit, haec autem tantum societatem colentium, aut profitentium veritates qua religio complectitur; verum et illud quoque novimus in concreto rem in idem recidere. Neque enim unquam religio consistere potest absque iis, qui eam profiteantur. Cum itaque motiva credibilitatis evineant divinam originem et institutionem religionis christianae in concreto, hoc ipso evincunt divinam originem et institutionem Ecclesiae christiana. Haec autem majorem adhuc firmitatem ac robur accipiunt ex eo quod pleraque credibilitatis motiva afficiant societatem ipsam, seu Ecclesiam a Christo fundatam; ejusmodi sunt quae petuntur ex propagatione christianae religionis, ex martyrum fortitudine, ex Ecclesiae item perpetua conservatione, quae duplex semper praeseferunt pro divina christiana Ecclesiae origine ineluctabile argumentum; alterum quidem ex ipsa rei natura in omnibus suis adjunctis spectata; alterum vero ex adimpletis divini ipsius Conditoris vaticiniis, quibus ea praenuntiavit futura ac certo adimplenda. Tot igitur suppetunt argumenta pro origine et institutione Ecclesiae a Christo facta quot sunt motiva certissima religionis christiana.

Duplici ex hac via quarum altera a nobis ascendimus ad Christum usque, altera autem a Christo ad nos usque descendimus, factum quod enuntiamus ineluctabili adeo ratione imo evidenter constat, ut plane confecta res sit; idque absque ullo Scripturarum adscito praesidio.

Nunc demum id ipsum adstruimus ex sacris Litteris, quas, ut praefati sumus, adjuicimus velut documenta historica coevorum scriptorum, qui nobis oconomiam aperiunt quam Christus Servator noster in hac Ecclesia instituenda atque fundanda secutus est. Jam vero qui commentaria primum ediderunt de Christi gestis et dictis, cum nobis exhibent colligentem ex suis discipulis prius viros duodecim quos

menta, quae expendimus in altera hujus tractationis parte, ubi de mediis per quae perennis Ecclesiae traditio ad nos pervenit, atque a nobis cognosci potest. Quae quidem omnia moralem historicam certitudinem summam constituunt omni exceptione majore.

(1) In Tract. De vera relig. p. 1. capp. 3 et 4. ubi ex miraculis et vaticiniis, praesertim vero Christi a mortuis resurrectione, divinam ejusdem Christi missionem ac religionis proinde et Ecclesiae ab eo instituta divinitatem ostendimus.

et apostolos nominavit (Math., X, 1 seqq.; Marc., III, 10; Luc., VI, 13). Hos voluit esse propagatores suae doctrinae (Act. Apost., I, 8; Ephes., II, 20; Apoc., XX, 14), atque adeo diligentius instituit, ac suos effecit individuos comites (Math., Marc., Luc., II. cit.), imo peculiari potestate instruxit (Marc., XVI, 15 seqq.), et auctoritate (Joan., XX, 21), amplissimumque illis commendavit munus praedicandi doctrinam suam per mundum universum (Math., XXVIII, 19; Marc., XVI, 15), spondens sese eis praesto adfuturum, et Spiritum veritatis usque ad consummationem saeculi ab eis nunquam recessurum (Ibid. et Luc., XXIV, 49; Joan., XIV, 16). In his Petram elegit ut petram seu rupem ad fundamentum super quo aedificaret Ecclesiam suam (Math., XVI, 18) semper constituram; eundem praefecit cunctis agnis et ovibus suis, eique munus eas pascendi commisit (Joan., XXI, 15-17.), et peculiari ratione, seorsum nempe a ceteris, claves ei contulit regni caelorum (Math., XVI, 19). Post apostolos et alios septuaginta duos discipulos elegit, ut illis essent tanquam adjuvatores in ministerio quod ipsis commiserat (Luc., X, 1). Parvam hanc societatem in ipsidem documentis post ascensum Christi in caelum conspicimus succrescere ac sese in proximas regiones effundere (Act. Apost., II-X, seqq.), deinde vero in remotiores ac longe dissitas, ita ut brevi occupet universam terram juxta ejusdem Christi pollicitationem (Rom., XV, 19; Coloss., I, 6), ac denique per saeculorum lapsum ex documentis ecclesiasticis prope innumeris eodem semper vigore pullentem ad nos usque pervenire.

Constat igitur juxta triplicem quam inivimus viam omni argumentorum genere luculentissime factum quod enuntiamus. Quod vero spectat ad jus, ad aeternam scilicet salutem mediis idoneis nobis comparandam tanquam finem quem Christus sibi proposuit in instituenda Ecclesia sua, prout secundo loco ostendendum assumpsimus, non minus aperte adstruitur. Ac primo ex ipsa divina Christi missione, quam ei jamdiu vindicavimus (Tract. De vera relig. p. I cap. 4). Objectum porro divinae missionis non aliud esse potest quam revocandi ac conjungendi homines cum Deo ultimo fine nostro sive in tempore sive in aeternitate; ut scilicet homines redeant ad illud principium a quo originem per creationem habent. In hoc autem consistit aeterna hominum salus. Secundo hoc ipsum conficitur ex professione ipsius Ecclesiae a Christo institutae, quae non alium sibi praestitutum finem agnovit praeter aeternam felicitatem obtinendam ope divinae gratiae et omnium virtutum, charitatis praecipue in Deum et proximum exercitio. Huc media omnia collineant ac revocantur. Tertio demum palam est repetitis effatis Christi conditoris Ecclesiae relatis a scriptoribus coevis, quibus protestatus est se in hunc mundum venisse, ut daret vitam, eamque abundantem ovibus suis (Joan., X, 10), suis videlicet cultoribus; quae quidem vita gratiam complectitur in praesenti seu germen, opera sancta tanquam fructum, aeternam vero beatitudinem quae ejusdem evolutio-

tionem ac terminum, quamque absolute interdum vocat vitam aeternam (I Joan., V, 11). Omnis ejus doctrina, praeccepta, consilia, sacramenta, etc. veluti totidem media eo tendunt atque in id unum conspirant.

Cum propterea apertissime ex dictis factum cum jure conjunctum constitutum sit, patet quod proposuimus, Christum nempe Ecclesiam instituisse atque fundasse ut in ea et per eam sui cultores mediis idoneis essent instructi ad aeternam salutem sibi comparandam.

DIFFICULTATES. Obj. 1. Vehementer errat qui ex hodierna Ecclesia sibi persuadet colligere posse originem et statum Ecclesiae primigeniae. Etenim 2. reactiones, ut vocant, quae longa saeculorum serie factae sunt adversus Ecclesiam dominantem seu catholicismum, omnes, nulla prorsus dempta, sive quoad doctrinam, sive quoad internam constitutionem Ecclesiae primitivae nomine prodierunt, seu ut revocarent Ecclesiam ad pristinam originem et statum suum (1). 3. Quis porro probe dijudicaverit utrum Ecclesia catholica desciverit a primava origine per successivas phases quas adjuncta materialia rerum induxerunt, an vero ecclesiae particulares, quae protestantur se unice legitimas haereditas esse societatis a Christo institutae? 4. Sane Ecclesia non illico perfecta enata est, sed tres distinctae ejus phases enumerantur, quarum prima se a Christo Jesu protendit ejusque discipulo Petro, in qua societas christiana, seu potius schola judaica vix a synagoga discriminabatur, omnesque ritus legales adhuc servabantur; altera a Paulo cepit per quem abolita lex ritualis est, ac veluti divisionis murus erectus inter utrumque populum judaicum et christianum post acres pugnas quibus decertavit cum christianis primae phaseos, et cum Petro ipso; tertia a Joanne est constituta, qui utpote theosophus principium evoluit mysticismi, inveniitque mutationem systematis suorum praedecessorum, et insinuavit Ecclesiae ut ope novae interpretationis erueret ex scriptis evangelistarum et apostolorum formam positivae dominationis, spiritum rigidae politicae, et ardorem insatiabilis ambitionis. Hinc in prima periodo idea symbolica Christi Jesu referebat personificationem judaicae gentis; in altera retulit personificationem totius humani generis; in postrema personificationem totius universi, quatenus omnia per Christum coeperunt, et in ejus unitatem per generalem restitutionem, seu ἀποκατάστασις desinere debent (2). 5. Quid mirum igitur si idem iter insistendo praesens Ecclesia longe alia atque diversa sit a primava, nec propterea ex actuali Ecclesiae existentia ullum possit capi argu-

(1) Ita J. Salvador in op. cui tit. *Jésus-Christ et sa doctrine*. Paris. 1858, ubi tom. I, pag. 1, loquens de origine christianismi scribit: «Les commotions les plus étendues dont il ait ressenti les effets, les schismes qui l'ont divisé aux époques où la puissance de son organisation semblait à jamais inébranlable, se sont tous accomplis au nom de l'Eglise primitive.»

(2) Sic idem auctor, qui haec evoluit, lib. II, et III op. cit. cf. praesertim, tom. I, pag. 134. seqq.